

QUÆSTIO XIII.

DE ELECTIONE.

SUMMA LITTERÆ.

Electio est primus actus, qui post voluntatem finis tam absolutam, quam intentivam incipit versari directe circa media ex parte voluntatis. Et de illa tria considerat D. Thomas, scilicet subjectum, objectum, et modum, scilicet libertatem, et hoc per sex articulos.

Igitur in articulo primo ostendit D. Thomas electionem esse actum voluntatis formaliter, licet præsuppositive sit actus intellectus ordinantis, et conferentis unum cum alio, ut videatur si aliquid præponderat: formaliter autem electio exercetur, et consummatur per actum acceptantem unum præ alio. Quæ acceptatio est quasi voluntatis placitum, et completus quidam circa illud, quatenus conveniens, et bonum sibi est, et sic pertinet ad partem appetitivam.

In secundo articulo ostendit electionem non convenire brutis, quia electio ducitur arbitrio, et collatione, seu comparatione unius præ alio, bruta vero aguntur instinctu, et necessitate quadam feruntur.

In articulo tertio incipit agere de objecto electionis, et ostendit primo quod versatur circa media, non circa finem, quia finis se habet ut principium, ex quo determinatur electio, et regulatur, quia electio potest esse circa plura, et indiget determinari ad unum ex aliquo principio, quod principium est finis, hoc enim ex propria bonitate determinatum est; electio ergo non versatur circa finem tamquam circa materiam, et objectum, sed ex fine procedit ad determinanda media, eligendo unum præ alio.

In articulo quarto ostendit electionem solum esse eorum, quæ a nobis fiunt humano modo, quia quæ a nobis non fiunt, nec a nobis pendent, sub arbitrio nostro, et jurisdictione non cadunt, ergo nec sub electione.

In articulo quinto ostendit electionem solum versari circa possibilia, eo quod media impossibilia non sunt consecutiva finis, neque ad illum conducentia; ergo nec eligibilia in ordine ad talem finem.

In articulo sexto agit de modo electionis ex parte libertatis, et ostendit electionem non esse ex necessitate, sed ex libertate, quia procedit ex arbitrio determinante, et acceptante unum medium præ alio. Unde non versatur circa bonum adæquans totam capacitatem voluntatis, id enim solum pertinet ad summum bonum, quod est finis ultimus; ergo circa talia objecta voluntas non de necessitate movetur, sed ex libertate, et arbitrio.

DISPUTATIO VI.

DE ELECTIONE.

ARTICULUS I.

Utrum electio sit formaliter actus voluntatis, an intellectus?

I. Licet titulus ponatur solum de electione, tamen difficultas ipsa universalior est, complectiturque principia, et fundamenta generalia ad discernendum quando aliquis actus sit formaliter pertinens ad intellectum, vel ad voluntatem, concurrente utraque potentia ad ea, quæ pro tali actu requiruntur. Et sic ex ista difficultate poterit discerni de actu intentionis, fruitionis, usus, et imperii, an sint formaliter actus intellectus, vel voluntatis. Cum enim isti actus non sint ita absolute, et præcise unius potentiæ, quod non etiam requirant concursum, et influentiam alterius, non est facile discernere ad quam potentiam directe, et formaliter pertineat talis actus, verbi gratia electio, et ad quam præsuppositive, seu antecedenter. Unde Aristoteles vi ethicorum, capite ii, dicit electionem esse intellectum appetitivum, vel appetitum intellectivum, et ita videtur ibi relinquere indecisam istam quæstionem, an electio sit actus intellectus, vel voluntatis.

II. Sit conclusio: Electo formaliter, et substantialiter est actus voluntatis, et solum præsuppositive, et antecedenter pertinet ad intellectum, quatenus ordinat, et dirigit electionem, taliter quod ex illo modo dirigendi, quo procedit intellectus, voluntas etiam participet modum procedendi cum quadam comparatione, et collatione unius præ

alio. Sententia hæc quantum ad principalem partem, quod electio formaliter sit actus voluntatis, communissima est inter auctores, qui videri possunt super hunc locum D. Thomæ. Et tandem Aristoteles tertio ethicorum, capite secundo, dixit: « Electionem esse appetitum præconsiliati, » id est, objecti per consilium propositi. Et capite tertio dixit: « Electionem esse affectionem deliberativam. » Idem de electione docet Damascenus ii de fide, capit. xxii; Nyssenus lib. v philosophiæ, capite iv. Et sequuntur communiter omnes scholastici.

III. Et quidem fundamentum huius proprium, et per se ex eo videri posset desumendum esse, quia objectum electionis est objectum voluntatis, scilicet bonum, ergo et ipsa electio debet esse actus voluntatis. Antecedens probatur, quia objectum electionis est medium ordinatum ad finem tamquam utile ad illud; ideo enim aliquid eligitur, quia utile, et conveniens reputatur ad aliquem finem consequendum. Utile autem continetur sub ratione boni, quia bonum dividitur in delectabile, utile, et honestum; ergo formaliter objectum electionis est bonum. Et hac ratione videtur uti D. Thomas i part. quæstione lxxxiii, articulo primo. Nec videtur illa congruentior probatio, quam ex ipsa ratione objecti venari naturam, et speciem actus, qui ad illam potentiam debet pertinere, ad quam pertinet objectum ejus. Similiter supra quæstione duodecima, articulo primo, ex eo probavit D. Thomas fruitionem esse actum voluntatis, quia versatur circa finem, et finis est objectum voluntatis. Si ergo illa fuit sufficiens probatio pro fruitione, etiam debet sufficiens judicari pro electione.

IV. Cæterum hæc ratio sola, et hoc fundamentum nisi altius pene-

tretur, non potest ita efficax cense-
ri, quia licet ratio boni formaliter,
et sub ratione appetibilis, et allicien-
tis pertineat ad voluntatem sicut
est bonum, seu finis ut fruibilis, et
ut quietans, seu delectans, ubi ma-
nifeste apparet non solum ipsum bo-
num, quod attingitur, sed etiam ra-
tio formalis attingendi, quæ est ip-
sa ratio formalis appetibilis, et de-
lectabilis, et sic pertinet ad fruitio-
nem; tamen aliquando bonum at-
tingitur sub formali ratione veri,
vel ordinabilis, et conferibilis, et
sic non repugnat etiam bonum at-
tingi ab intellectu, ut patet in im-
perio, in lege, in actibus prudentiæ,
quæ est virtus moralis, et versatur
circa bonum, licet directive, et re-
gulative. Cum ergo electio versetur
circa bonum cum quadam ordina-
tione, et conferentia, quia compa-
rat unum alteri, et accipit unum
præ alio, difficile discernitur, cur
non sit formaliter actus intellectus,
sicut imperium, aut lex, sed solum
regulative. Licet enim electio requi-
rat efficacem applicationem vo-
luntatis, qua adhæreat, et ac-
ceptet unam partem præ alia,
etiam imperium, et lex talem effi-
caciæ requirunt, ut id quod impe-
ratur et præcipitur obliget, et mo-
veat alios, et tamen D. Thomas po-
nit istos actus in intellectu regulan-
te, non in voluntate movente, licet
motionem illam præsupponant; cur
ergo similiter non dicemus electio-
nem præsuppositive esse voluntatis,
(quæ incipit movere quoad effica-
ciam) et formaliter, seu executive
esse intellectus conferentis, et ordi-
nantis unum præ alio. Aut quæ tan-
dem regula certa erit ad judican-
dum in his actibus, qui utrumque
exigunt, scilicet, intellectus ordina-
tionem, et voluntatis applicationem
seu efficaciam, ut dicamus formaliter
istos consistere in voluntate, et
regulative in intellectu, alios e con-

tra, cum videatur par ratio de his,
et de illis. Et impugnando rationem
D. Thomæ quam affert in præsentem,
et eam quam supra attulit agendo
de intentione, id amplius constabit.

V. Propter hoc igitur D. Thomas
in præsentem profundius scrutatus
naturam electionis, non ex sola ra-
tione objecti utcumque processit,
sed ex ipsa propria et formali ra-
tione, qua exercetur electio. Et ex-
inde debet sumi regula generalis pro
aliis actibus, ut videamus ad quam
potentiam formaliter, et substantia-
liter pertineant, si modus exercendi
talem actum consummatur, et exer-
cetur in tali potentia. Sic ergo pro-
ponit rationem D. Thomas: Actus
qui fertur in bonum ordinatum per
rationem, materialiter quidem est
voluntatis, formaliter autem intel-
lectus: sed electio fertur in bonum
ordinatum per rationem; ergo ma-
terialiter est actus voluntatis, et
formaliter rationis. Substantia au-
tem, et entitas actus pertinet ad il-
lam potentiam in qua materialiter
exercetur, et consummatur, non ad
illam a qua formaliter ordinatur, et
dirigitur, quia ordinatio pertinet ad
potentiam imperantem, exercitium
autem materiale ad elicentem, quæ
præbet materiam dirigendam, et
imperandam; ergo electio substan-
tialiter pertinebit ad voluntatem, di-
rective autem, et regulative ad ra-
tionem. Major constat, quia quan-
do duo concurrunt, unum ut ordi-
nans et dirigens, aliud ut ordina-
tum et directum, hoc præbet mate-
riam ordinandam, illud formam
ordinativam, seu id quod formale
est ex parte directionis, et ordina-
tionis; ergo hoc materialiter se ha-
bet, illud formaliter: sicut patet in
actu fortitudinis cum dirigitur, et
imperatur a charitate, et in aliis
actibus imperatis, et ordinatis a su-
periori virtute, vel potentia. Minor

vero probatur, quia electio perfici-
tur in motu quodam animæ ad bo-
num, quod eligitur: huic autem mo-
tui præbet ordinem ipsa ratio, quia
ad rationem pertinet ordinare, et
representare voluntati quomodo, et
quo ordine movenda sit in suum
objectum; ergo electio fertur, et
movetur in bonum ordinatum per
rationem, et sic materialiter, et ex
parte potentiæ motæ pertinet ad vo-
luntatem, formaliter autem, et ex
parte ordinantis, et dirigentis ad in-
tellectum.

VI. Hæc ratio quomodo accommo-
dari possit ad alios actus, qui etiam
per se dependent a duplici potentia,
ab una causaliter, seu motive, ab
alia proxime elicitive, ut intentio,
imperium, usus, lex, et similia, ex
solutione eorum quæ contra hanc
rationem D. Thomæ objiciemus, po-
terit constare.

VII. Contra propositam ergo ra-
tionem multiplex oritur difficultas.
Prima, quia licet id quod materiale
est pertineat ad unam potentiam et
formale ad aliam, tamen semper id
quod est formale est principalius, et
est id quod speciem ipsam actus
præbet, et constituit, ergo magis
pertinet elicentia actus ad illam
potentiam ad quam pertinet forma-
le actus, quam ad illam ad quam
pertinet materiale; et sic ex hac ra-
tione potius infertur, quod electio
pertineat ad intellectum, quam ad
voluntatem. Præterquam quod est
impossibile, quod materiale proce-
dat ab una potentia, et formale ab
alia, si hoc formale est constituti-
vum speciei, et essentiæ, si quidem
essentia rei non potest quoad unam
partem, seu quoad formam proce-
dere ab uno, et quoad materiam,
seu materiale ab altero, nisi in his
quæ sunt composita ex materia et
forma, aut ex subjecto et accidente;
in istis autem actibus immanentibus,
qui sunt simplices qualitates,

non potest intelligi, quod formale,
et constitutivum speciei proveniat
ab una potentia, et materiale ab
alia, sed ab illa potentia a qua di-
manat actus, tota species illius eli-
citur.

VIII. Quod si dicatur D. Thomam
per ly formale non intelligere for-
male intrinsecum, et intrinsece
specificativum, sed extrinsece, sicut
est bonum ordinatum per rationem,
quod se habet ut objectum; vel id
quod est formale per modum mo-
ventis, et proponentis, aut imperan-
tis, non quod est formale per mo-
dum constituentis, et sic intellec-
tus cum se habeat ut proponens, et
extrinsece movens ad electionem,
non pertinet electio ad intellectum
ut ad elicentem: vel tandem quod
loquitur de formali accidentali, non
essentiali.

IX. Contra omnes istas explica-
tiones instatur: nam prima est extra
mentem D. Thomæ, quia loquitur
in præsentem de actu ad quem con-
currit duplex potentia, non autem
ad quem concurrat solum potentia,
et objectum, hoc enim generale est
in omni actu, non solum volunta-
tis, sed etiam aliarum potentiarum,
quod ad illos concurrat objectum,
et potentia, sed objectum nunquam
concurrit ut elicentis: nec dubitari
potest, an actus sit objecti ut eli-
cientis, et exercentis, sed solum ut
extrinsece specificantis. Ergo quan-
do D. Thomas in præsentem dicit,
quod actus formaliter pertinet ad
unam potentiam, et materialiter ad
aliam, per ly formaliter non potest
intelligere solum formaliter extrin-
sece, seu specificative, id enim per-
tinet ad objectum, sed formaliter
constitutive, et quantum ad ipsam
speciem intrinsece constituentem
actum.

X. Secunda vero explicatio vel
petit principium, vel solum hoc re-
ducit ad generalem modum concur-

rendi intellectus per modum proponentis, et repræsentantis. Petit quidem principium, quia licet verum sit quod omnis actus voluntatis petat motionem intellectus, et propositionem ejus per modum moventis, et allicientis antecedenter, tamen inde non infertur electionem esse actum voluntatis substantialiter, et entitative, nisi supponendo quod electio a voluntate procedit, ideoque supponit intellectum ut dirigentem; hoc autem est de quo est quæstio in præsentia, et quod est probandum, scilicet electionem esse actum voluntatis; ergo petitur principium. Quod si hoc supponendo, solum vult dicere, quod id quod se tenet ex parte intellectus est formale, quia est proponens, et repræsentans voluntati, et hoc dicitur formale, quia proponit id quod specificativum est, nihil peculiare dicit de electione præ omnibus aliis actibus voluntatis, nec magis dubitari poterat, an electio sit actus voluntatis, quam utrum amor sit actus voluntatis, quia etiam amor dependet ab intellectu ut a proponente objectum formale, et specificativum; cum tamen apud Aristotelem, et philosophos peculiaris dubitatio fuerit de electione, quæ non fuit de amore, an sit actus intellectus, vel voluntatis, sicut de imperio, et de lege, et de aliis similibus, in quibus utriusque potentiæ concursus specialius invenitur.

XI. Denique, nec tertia explicatio aliquid valet: tum, quia D. Thomas expresse loquitur de eo quod est formale ad constituendum, non quod est formale accidentaliter, ut patet in illis verbis: «Quando duo concurrunt ad unum constituendum, unum eorum est formale respectu alterius;» tum etiam, quia si solum est formale accidentaliter id quod ex parte intellectus se tenet, frustra laborat D. Thomas in probando,

quod electio substantialiter est actus voluntatis, et non intellectus si jam supponit quod solum est formale accidentaliter id quod ex parte intellectus se tenet, et relinquit non probatum id quod maxime probare debebat, scilicet quod illud formale, quod dat intellectus, solum accidentaliter se habeat; tum denique, quia falsum est quod bonum ordinatum per rationem solum accidentaliter se habeat ad electionem, cum sit objectum per se specificativum ejus; intellectus autem dicitur præbere id quod formale est, quatenus præbet objectum ordinatum per rationem; ergo quatenus præbet specificativum essentielle, et non id quod accidentale est.

XII. Secundo instatur ratio D. Thomæ, quia supra quæstione XII, articulo I ad probandum, quod intentio est actus voluntatis, opposito modo procedit. Dicit enim: «Quod intentio primo, et principaliter pertinet ad id quod movet ad finem, sicut architector, et præcipiens movet suo imperio ad id quod ipse intendit. Et quia voluntas movet alias vires in fine, ideo intentio proprie est actus voluntatis.» Ecce constituit D. Thomas intentionem in actu voluntatis ex eo quod voluntas est potentia movens omnes alias: in præsentia autem quæstione constituit electionem in actu voluntatis, quia est potentiæ motæ, et ordinatæ a ratione, ad quam pertinet formale, quod est in electione. Quomodo ergo ista duo cohærent, cum fundamentum unius destruat fundamentum alterius? In uno probatur esse actum voluntatis, quia est potentia movens, in alio probatur esse actum voluntatis, quia est potentia mota. Deinde, sicut sufficienter probavit supra quæstione undecima, articulo primo, fruitionem esse actum voluntatis, quia versatur circa finem, cur hic non sufficienter pro-

batur electionem esse actum voluntatis, quia versatur circa medium, cum utrumque sit bonum, et objectum voluntatis?

XIII. Confirmatur, nam imperium, et prudentia ponuntur in actu intellectus, et non in voluntate, quia licet ad imperium requiratur efficacia voluntatis, quæ alium moveat, et obliget, tamen quia ista efficacia, et motio fit per ordinationem unius erga alium, et ordinatio est actus intellectus, ideo imperium constituitur in actu intellectus formaliter, licet præsuppositive ad voluntatem pertineat, ut docet D. Thomas infra quæstione decima septima, articulo primo, et idem docet de lege (quæ est quoddam præceptum) infra quæstione nonagesima, articulo primo. Quare ergo electio similiter non consistet in actu ordinativo, qui est rationis, licet præsuppositive in actu efficaci voluntatis acceptantis rem electam, et moventis intellectum ut ordinet unam præ alia, sicut imperium; cum ad utrumque concurrat et ordinatio intellectus, et efficacia voluntatis.

XIV. Tertio instari potest ad probandum electionem simpliciter pertinere ad intellectum, vel ad appetitum sensitivum formaliter. Ad intellectum quidem, quia electio est actus prudentiæ, eo quod prudentia constituit medium in virtutibus, scilicet quod tantum, vel tantum in hac materia operandum sit; et sic determinet unum præ alio, quod proprie est electio: prudentia autem residet in intellectu; ergo electio est actus intellectus. Ad appetitum autem sensitivum pertinet, quia virtutes morales, quæ versantur circa passiones, ut temperantia, et fortitudo, resident in appetitu sensitivo, ut docet S. Thomas infra quæst. LVI, art. IV. Istæ autem virtutes sunt habitus electivi, et habent

pro actu proprio elicere electionem rectam in tali materia moderando passionem; ergo datur electio, quæ sit actus appetitus sensitivi, eo quod virtutes istæ in appetitu sensitivo sunt.

XV. Nihilominus pro explicatione rationis D. Thomæ et solutione argumentorum, notandum est id quod maxime in hoc tractatu de actibus humanis, et de bonitate, et malitia observare oportet, scilicet D. Thomam, cum dicit quod: «Aliquid est formale respectu materialis» (quod toties repetere solet) non sumere ly formale communiter pro formali constituyente, aut specificante præsertim intrinsece, sed pro formali movente, sive imperante et ordinante, sive proponente et dirigente, sicut intellectus etiam essentielle, et specificum objectum proponit voluntati, et ad illud eam movet. Pertinet ergo ad superiorem potentiam quæ sic movet, dare formam, et ordinationem inferiori, qua operandum sit, et ad finem peculiarem dirigere; hoc autem est formale in agentibus, seu moventibus, movens enim ut movens est in actu et mobile, seu motum in potentia; actus autem aliquid formale est cum ad formam pertineat. Et in moralibus finis est formalissimum in movendo quia est primum, et in ordine ad quod cætera regulantur, et mensurantur in ratione boni. Totum hoc constare potest exemplo; nam D. Thomas infra quæst. XVIII, art. VI, docet speciem actus humani considerari formaliter secundum finem, et materialiter secundum objectum exterioris actus, sicut qui furatur ut adulterium committat magis est adulter quam fur; et tamen constat objectum specificare, non finem sub ratione finalizantis. Dicitur autem finem se habere formaliter, et objectum materialiter, quia finis formaliter se habet in moven-